

Hæc est Regalis proculdubio virtus, celerius necessaria sentire, & tardius in verba prorumpere. Nescit enim panitenda loqui, qui proferenda prius suo tradidit examini. Et alibi (b): Furentes iusta non sentiunt, quia dum commoti animo in vindictam sæviunt, rerum temperantiam non requirunt.

17 Et relicti aliis, quæ hanc in rem ex Seneca (i), Plutarcho (k), & aliis (l) uberrimè peti possunt, omitti non debet Franciscus Patricius (m), qui quanta sit iracundiæ culpa, Regibus, vel ex eo pensandum relinquit: *Quod per illam sapientia perditur, ut quid, quovè ordine sit agendum, omnino nesciatur, quia nimirum intelligentiæ lucem ira subtrahit, cum mentem promovendo confundit. Per iram justitia relinquatur, quia dum perturbata mens iudicium sine ratione exasperat, omne quod furor suggerit rectum putat. Per iram gratia vitæ socialis amittitur, quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est, ut bestialiter vivat. Per iram mansuetudo amittitur; per iram concordia rumpitur; per iram lux veritatis amittitur, quia cum menti iracundiæ confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cogitationis abscondit. Per iram Spiritus Sancti splendor excutitur, qui super humilem, & quietum requiescere dicitur, &c.*

18 Quæ omnia haud quaquam latuerunt Alfonso X. Regem nostrum, septem Partiti juris compilatorem, cum tribus (n) in legibus in enarranda iræ natura, diffinitione, ac damnis, latè persistat, & in suis successoribus injungendo, ut ab iis, quantum fieri possit, abstineant præceteris aliis hominibus: *Porque son puestos en lugar de Dios para cumplir la justicia. E esto non podrian hacer acabadamente, si de la ira non se guardasen. E porque debe el Rei sofrirse en la saña fasta que le sea pasada; è quando lo ficere, seguirseleba gran pro, ca podra escoger la verdad, è facer con derecho lo que ficere. E porque la ira del Rei es mas fuerte, è mas dañosa que la de los otros omes, porque la puede mas àima complir; è per ende debe ser mas apercebido, quando la oviere, en saberla sofrir.*

19 Quarum quidem legum doctrina, ultra suprà relata, Jobum, Salomonem, & plura alia Sacra Scripturæ testimonia (o) pro se habet, quibus admonemur, ne nos ab ira possideri, superarivè sinamus, Regesque præsertim, quorum indignatio Nuntius mortis vocatur, idèque à sapienti viro placari debere, consulitur. Ubi Sancti Patres, & alii Expositores plura diffundunt.

20 Sed numquam est oblivioni mandanda celebris illa Ciceronis (p) ad Quintum Fratrem epistola, quam Franciscus Hotomannus suis notis illustravit, & ita laudat, ut dicat, in ea, omnibus Provinciarum gubernatoribus præclaram quamdam Imperii rectè administrandi normam, ac regulam præscripsisse videri. Etenim cum Quintum fratrem, natura ad iracundiam pronum esse cognosceret, sicque animo incitari, ut ab omnibus ejus desideraretur humanitas, ipsum, & in ipso omnes Principes, ac Magistratus, his verbis alloquitur: *Nihil est tam deformè, quàm ad summum Imperium etiam acerbiter naturæ adjungere; quare, cum in eam rationem vitæ nos non tam cupiditas quædam gloriæ, quàm res ipsa, ac fortuna deduxit, ut sempiternus sermo hominum de nobis futurus sit: caveamus quantum efficere, & consequi possimus, ne quod in nobis insigne vitium fuisse dicatur. Neque Ego hoc nunc contendo, quod fortasse cum in omni natura, tum tam in nostra ætate difficilè est, mutare animum, & si quid est penitus insitum moribus, id subitò evellere. Sed te illud admoneo, ut si hoc plenè vitare non potes, quod ante occupatur animum ab iracundiâ, quàm providere ratio potuit, ne occuparetur, te ante compares, quotidieque meditare, resistendum esse iracundiæ: cumque ea maximè animum moveat, tum tibi esse diligentissimè linguam continendam: quæ quidem tibi virtus, non interdum minor videtur, quàm omnino non irasci: nam illud non solùm est gravitatis, sed nonnumquam etiam lenitudinis: moderari verò & animo, & orationi, cum sis iratus, aut etiam tacere, & tenere in sua potestate motum animi, & dolorem, & si non est perfectæ sapientiæ, tamen non est mediocri ingenii, &c.*

21 Quæ etiam monita suadere volens Aristoteles Alexandro Magno, illumque ira excandescentem placere, elegantem ad eum epistolam scripsit, quæ apud Ælianum (q) extat, docens inter alia, excandescentiam, & iram, non in meliores, sed in pares existere solere, illi verò neminem esse parem. In quo tamen parum profecit, cum Magnus hic alioquin Imperator, hoc vitio plures aliàs virtutes, ac victorias deturpaverit, ut Valerius (r) Maximus notat, cum ira percitus Lysimachum leoni objecerit, Clytum hasta transfoderit, & Callistenem mori jusserit.

22 Cui exemplo, plura alia similia aliorum Principum ira flagrantium, ejusque causa multa injusta, & perniciofa facientium, ultra ipsum Valerium, Baptista Fulgosus (s), Beyerlin-

(b) Idem lib. 4. epist. 10.

(i) Senec. in lib. de ira.

(k) Plutarco. in Dialog. de cobib. ira.

(l) Saaved. Empres. 8. ex pag. 50.

(m) Patric. de Reg. lib. 4.

(n) L. 9. 10. & 11. tit. 5. part.

(o) Job. 36. 18. Proverb. 18. 14. & 16. 14. Eccles. 7.

10. Mart. 2. 22. Ephes. 26. 31. Collos. 3. 8. 1. Timoth. 2. 8. Jacob. 1. 19.

(p) Cicer. lib. 1. epist. 1. ad Quint. Frat. quem valde commendat Pet. Vict. lib. 2. var. lect. cap. 22.

(q) Ælian. lib. 12. de var. hist.

(r) Valer. lib. 9. cap. 3.

(s) Fulgos. lib. 9. cap. 3. de ira, & odio.

chius (t), & alii (u) subjungunt. Inter quæ, omissa Theodosii irati in Thessalonicenses (x) strage, de qua latius alio loco dicemus, notandum est illud Clotharii, Gallorum Regis, qui Gualtherum Juetoti dominum, sibi quæ antea in cubiculo ministrantem, falsis respersum criminibus, ira percitus, inauditum, seque ad ejus pedes in templo, ea die qua Ecclesia Christi Redemptoris mortem celebrat, cum literis Virgilio Pontificis provolventem, præter modum furore correptus, cum manu sua crudeliter occidit. Quamobrem acerbè à Pontifice reprehensus, cum præterea etiam eum conscientia (id quod persæpe in ira contingit) torqueret, ut pro tanto crimine, quantum fieri poterat, satisfaceret, sicuti nimia ira atque superbia palam deliquerat, ita etiam palam, atque humiliter corrigere errorem voluit, Gualtherumque, & ejus hæredes, ac posteros, item Juetoti urbem, atque agrum, ab omni Gallici Regni Imperio, ac servitute liberavit, quo in jure, & privilegio etiam hodie sub Regni appellatione perdurat, ut præter Fulgosum (y), latius Robertus Guaguinus, Paulus Æmilius, & alii (z) Francicarum rerum Scriptores enarrant.

23 Quæ cum ita se habeant, & ira, ex hac, de qua agimus, animi turbatione, & commotione procedat, meritò Rex noster Alfonso (a) consuluit, *Que procure el Rei sofrirse en su saña.* Nam secundum Senecæ (b), aliorumque doctrinam, maximum ejus remedium est dilatio, ut primus ejus fervor relanguescat, & caligo quæ premit mentem, aut residat, aut minus densa sit. Quædam enim ex iis, quæ nos præcipientes ferunt, hora, non tantum dies, emolliet, quædam ex toto evanescent. Quod, statim Seneca Platonis exemplo probat, à servi flagellatione, quia se iratum senserat, abstinens.

24 Sed congruentius est illud Athenodori Philosophi, à qua profectioem parante, cum Augustus Cæsar petisset, ut aliquod sibi monumentum tanto viro dignum, relinqueret; ille subjecit: *Cum fueris iratus, nihil dixeris fecerisvè, prius, quàm Græcarum literarum XXIV. nomina apud te recensueris.* Sic, ut Plutarchus (c) refert, edocens, ubi laxata affectibus iræ habent fuerint, mox veluti succisis poblitibus, impetum illum compescendum, antequam quid dicatur, vel statuatur, & hac vel tantilla mora, ebullientis animi æstus subsidere solere, prout non minus benè monuit Statius Papinius (d), dum dixit:

—Ne fræna animo perimite calenti.
Da spacium tenuemque moram: malè cuncta minis trat
Impetus.

25 In hac autem temperatione Regibus suadenda, multa quoque prudentia, & temperatione opus est, qui sæpè videmus eos esse Regum animos, ut quamquam iniqui, tamen flecti non liat, juxta illud Tragici (e) in Medæa:

Difficilè quàm sit animum ab ira flectere
Jam concitatum, quanque Regale hoc putet,
Sceptris superbas quisquis admovit manus,
Quæ cepit ire, Regia didici mea.

26 Unde qui cum illis versantur, Pythagoricum illud observare debent, *Glandio ignem ne fodito*, quo præcepto annuit, potentem ira percitus, non esse severius reprehendum, ut Laertius, & alii apud Erasmum (f) testantur, propterea quòd flamma, quòd magis exagitat, hoc magis, atque magis inalescit. Unde prudentis erit, tempus, & conditionem illius, quem monere velit, attendere, & opportunè, blandè, & reverenter ferocientem lenire, & ad meliorem, ac saniozem mentem reducere. Semper quippè tam in hoc, quàm in aliis illud Ovidii (g) observare debemus,

Temporibus medicina valet, data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.
Quin etiam accendas vitia irritesque vetando
Temporibus si non aggrediare suis.

EM-

(t) Lheat. verb. Ira.

(u) Camer. 1. centur. cap. 55.

(x) Cap. cum apud Thessalonicam, leg. si vindicari,

C. de panit. Div. August. lib. 5. de Civit. Dei, cap. 26.

Sozom. hist. Eccles. lib. 7. cap. 14.

(y) Fulg. dist. cap. 3. pag. 302.

(z) Gaguin. Æmilii, & alii in vita Clotharii I.

(a) L. 10. tit. 5. part. 2.

(b) Senec. lib. 3. de ira cap. 12.

(c) Plutarco. in Apophth. Fulgos. lib. 7. cap. 2. Junius

in Embl. 25. pag. 149. in Append.

(d) Pagin. 8. Thebaid.


(e) Senec. in Med.

(f) Erasm. in Adag. pag. 439. Boissard. Emblem. 27.

quem vide.

(g) Ovid. de Remed. amor. lib. 1.

EMBLEMA XXXIX.
IN AVAROS PRINCIPES.



Quid recubas Cæsar, nummorum nixus acervis?
Aureus ad requiem lectus, acerbus erit.
Et licet indormias congestis undique saccis,
Fundere si nescis, semper egenus eris.

COMMENTARIUS.

Satis superque, *nifallor*, ex supra dictis apparet, quantum oporteat hæc, de quibus egimus, vitia à Regum, & Principum animis exulare; sed adduc tamen parum profecisse videbimur, nisi ab alio etiam summo studio cavere debere commoneamus, quod per anthonomasiam *Vitium vitiosissimum* appellatur, *Avaritia* nimirum, quæ secundum Aristotelem (a), Ciceronem (b), & Alios (c), rectè sentientes, animæ aviditas definitur, ob quam omnifariam cogendarum opum crescit appetitus, & insatiabilis, atque inhonesta cupido.

2 Hæc enim, ut præclarè inquit Valerius Maximus (d), latentium est indagatrix lucrorum, manifestæ prædæ avidissima vorago, nec habendi fructu sælix, & cupiditate quærendi miserissima. Et secundum Sallust. (e): *Bellua fera, immanis, & intoleranda, quæ quò tendit; agros, fana, atque domos vastat, divina cum humanis permiscet: neque exercitus, neque mænia obstant, quominus vi sua penetret: fama, pudicitia, liberis, patria, atque parentibus cunctos mortales spoliat, quasi materia omnium malorum existit, fidem, probitatem, ceterasque bonas artes subvertit, proque his superbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere edocuit: pecuniæque studium habet, quam nemo sapiens concupivit; ea quasi venenis malis imbuta, corpus, animumque virilem effeminat: semper infinita, & insatiabilis est, neque copia, neque inopia minuitur.*

3 Circa quem locum, meritò à Phavorino apud Agellium (f) in questionem vocatur, cur Sallustius corpus hominis avaritia effeminari dixerit? cum multos videre sit pecuniæ cupidos, & eosdem tamen esse corpore vegeto ac valenti? Et tandem concludit, aut nullam hujus dicti rationem reddi posse, aut solam illam, quòd avaritia summa, omnes hominis partes, affectionesque occupet, & sic ad incuriam usque corporis grassetur, ut per illam unam, neque virtutis, neque virium, neque corporis, neque animi cura adsit, tum denique is verè dici potest effeminato esse, & animo, & corpore, qui neque se se, neque aliud curet, nisi pecuniam.

4 Quòd & tendit D. Augustinus (g), sic inquit: *Insatiabilis est sola avaritia divitum, semper rapit atque numquam satiatur, nec Deum timet, nec hominem reveretur, nec patri par-*

(a) Arist. 4. Ethic. cap. 1.

(b) Cic. in Tuscul. q. 4.

(c) D. Aug. lib. 3. de lib. arbit. D. Thom. & Theol. omnes post eum in 1. p. q. 63. art. 2. & 2. q. 118. art. 1.

(d) Valer. Max. lib. 9. cap. 4. de avar. in princip.

(e) Sallust. in Catilin. Crinit. ex eo lib. 1. cap. 17. & Chrysost. hom. 11. sup. epist. D. Paul. ad Rom.

(f) Agel. lib. 3. cap. 1.

(g) D. Aug. de verb. Domini.

cit, nec hominem cognoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem servat. Viduam opprimit, pupillum invadit, liberos in servitutem revocat, testimonium falsum profert, res mortui occupantur, & qui faciunt non moriuntur? quæ est illa animarum insania, amare vitam, appetere mortem, acquirere aurum, & perdere cælum &c.

5 Unde dimanat, in omnium ore veluti in confesso esse, avaritiam omnia vitia in se habere, ut docuit Cato in carmine de moribus ab eodem Agellio (h) relatus. Apollodorus, inquit, caput omnium malorum esse, Bion, vitiorum Metropolim, D. Paulus (i), omnium malorum radicem, & idolorum servitutem, Syracides, qui avaro (k) nihil scelestius esse, scriptum reliquit, D. Augustinus (l), qui inferno omnia devoranti similem esse inquit, quoniam avarus vellet nullum hominem esse, ut omnia solus possideret, & elegantissimè Cassiodorus (m), sic inquit: *Reginam illam vitiorum avaritiam fuge, cui cuncta crimina detestabili devotione famulantur, quæ dum pectus hominis ingressa fuerit, gregatim quoque malefidas cohortes admittit. Ferri non potest recepta, quia nescit esse solitaria. Agmen habet blandissimum, arma suscipit ex talentis, & per dulcedinem superat, quos arma deceptione captivat.*

6 Quibus etiam connivens Seneca (n) inquit: *Neminem pecunia divitem fecit, imò contra, nulli non majorem sui cupiditatem incussit. Quæris quæ sit bujus rei causa? plus cupit habere posse, qui plus habet.*

7 Et Isidorus Pelusiota (o), non solum similem temulentia avaritiam facit, verum & detestabiliorem: nam etsi utrumque vitium à turpi, & absurda cupiditate procedat, siquidem & qui vini avidus est, quòd plures calices hauserit, eò plures appetit: & qui pecuniarum amore tenetur, quòd plura collegerit, eò magis fornacem cupiditatis accendit: in illo tamen naturalis ratio reperitur, vinum quippè cum fervidum, & ardens sit, ac naturalem siccitatem augeat, ebriis sitim accersit: in avaro autem, qua de causa plura semper appetat, nulla ratio reperiri potest, cum potius, quo ampliores opes consecutus est, tum demum maximè in paupertate versetur, & inexplicabilem hunc morbum, atque ænigmati similem faciat; quod cum curatur ingravescit, ac per excogitatum remedium atrocius redditur.

8 Ad quod etiam alludens Apullejus (p): *Pauperem me (inquit) vis prius avarum esse doceas, necesse est. Quoniam huic, ut vetus verbum docet, Tam deest quod habet, quàm quod non habet. Et juxta illud Horatii (q):*

Quærit, & inventis miser abstinet, ac timet uti.

Et alibi (r):

*— Congestis undique saccis
Indormis inbians, & tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.*

Quare Ovidius avaros hydropicis comparat, inquit (s):

*Creverunt & opes, & opum furiosa libido,
Et cum possideant plurima, plura petunt.
Sic quibus intumuit suffussa venter ab unda,
Quo plus sunt potæ; plus sitiuntur aque.*

Et Petronius (t) elegantissimè Tantalò, his verbis:

*Non bibit inter aquas, poma, aut pendentia carpit
Tantalus infelix, quem sua vota premoit.
Divitis hæc magni faciès erit, omnia cernens,
Qui timet, & sicco concoquit ore fame.*

10 Quod in causa est, ut multa & varia à veteribus, & recentioribus Auctoribus contra Avaritiam scripta sint, tantum scelus (ut & Petrus Crinitus (u) notat) magnis quidem convitiis, & insectationibus execrantibus. Nos autem, ut ejusdem aviditatem, ac fæditatem, ultrà alios, manifestemus, ex Caligulæ Cæsaris, quod in hoc Emblemate cernis exemplo, nostrum Principem admonitum cupimus. Ille enim, sui seculi monstrum, sive portentum, post alia vitia, quæ vix credi, referri possunt, ad avaritiam, & rapinas conversus, multis ac nefariis modis, novisque & inauditis vectigalibus, ærarium suum implere curavit, de quibus in ejus vita Suetonius scri-

(h) Idem Agel. lib. 11. cap. 2.

(i) D. Paul. 1. ad Tim. 1.

(k) Eccles. 10. 9.

(l) D. Aug. in serm. tom. 10.

(m) Cassiod. lib. 12. epist. 1.

(n) Senec. epist. 119. ad finem.

(o) Isid. Pelus. lib. 3. epist. 412.

(p) Apul. Apol. 1.

(q) Horat. in Arte Poet.

(r) Idem lib. 1. satyr. 1.

(s) Ovid. lib. 1. Fastor.

(t) Petron. in satyr.

(u) Crinit. lib. 1. cap. 17.

scribit, & Nos alibi (x) mentionem faciemus: coactaque ex iis ingenti pecunia, ut idem Suetonius (y) habet, ejus contractandæ cupidine incensus, sæpè super immensos aureorum acerbos, patentissimo diffusos loco, nudis pedibus spaciabatur, & aliquandiu toto, ac nudo corpore, grunientium porcorum instar, volutabatur. Quem etiam casum refert Baptista Fulgosus (z), & merito ingentem hanc, & inextinguibilem avaritiam detestatur, quæ in tanto Imperio, tantum Principem excæcatum, in eam vilitatem abjectionemque deduxerit. Et eundem credo notare voluisse Guntherum (a), dum in suo Ligurino, sic canit:

*Quanto Romanus studio cupidissimus æra
Congerit, & magno vigilans incumbit acervo, &c.*

11 Certè enim cum sit in privatis etiam hominibus hoc vitium præter cetera omnia (ut diximus) vitiosissimum, facilè considerari potest, quàm sit in Principibus nefandum, atque multandum, quidvè de eorum dignitate & Imperio sperari possit, qui ad aurum, & divitias congerendas animus semper intendunt. Cum ipsorum præcipua virtus, & laus esse debeat, de liberalitate, uti proprio Regum munere, gloriari, scireque, ut cum Cassiodoro (b) loquar, illud bonis Principibus crescere, quod benigna possunt largitate præstare.

12 Pro qua doctrina Petrus Crintus (c) celebrem illam Avidii Cassii epistolam laudat, genero suo scribentis: *Miseram, atque infelicem eam esse Republicam, quæ nimis divites divitiarumque cupidos Principe patitur.* Quod fortè sumpsit ex Marco Tullio (d), qui prius docuit: *Nullum est tetrius vitium, quàm avaritia, præsertim in Principibus, & Republicam gubernantibus: habere enim quæstui Republicam, non modo turpe est, sed sceleratam etiam, & nefarium.*

13 In quam sententiam tendit illa alia Francisci Patrii (e) iniquentis: *Avaritia magis iis qui gubernant parit odium, quàm cetera, & virtutes omnes enervat, & obscuriores reddit, & sæpè imperia evertit.* Guichardini (f): *Avaritia in Principe, modis omnibus fædior est, & detestabilior, quàm in privato.*

14 Et quia plures Reges hoc vitio ducuntur, & miserè miseri concredita sibi Regna convassant, atque pessumdant, in quæstionem vocavit Thomas Morus (g), an melius ea per Senatum, quàm per Reges gubernarentur? atque:

*Rex Cupidus longo populum corroserit ævo:
Si consul malus est, spes melioris adest.
Nec me nota movet, quæ pastan fabula muscan
Ferre jubet, subeat ne malè pransa locum.
Fallitur, expleri Regem, qui credit avarum,
Numquam hæc non vacuam mittet hirudo cutem.*

15 Et Juvenalis (h), idem vitium in Præsidibus ad regendas provincias missis, agnoscens, ut ab eo abstineant, per integram satyram adhortatur, inter alia sic inquit:

*Expectata diu tandem provincia cum te
Rectorem accipiet, pone iræ frenâ, modumque,
Pone & avaritiæ: miserere inopum sociorum, &c.*

16 Sed nullibi hoc melius cautum, expressumque reperies, quàm in nostri Alfonsi Regis X. sanctione (i), sic cum Regibus, de Regibusque loquente: *Riquezas grandes ademas, non debe el Rei cobdiciar, para tenerlas guardadas, é non obrar bien con ellas. Ca naturalmente el que para esto las cobdicia, non puede ser que non faga grandes yerros para averlas: lo que non conviene al Rei en ninguna manera. E aun los Santos, é los Sabios se acordaron en esto, que la cobdicia es muy mala cosa. Asi que dixeron por ella, que es madre, é raiz de todos los males. E aun dixeron mas, que el hombre que cobdicia grandes tesoros allegar, para non obrar bien con ellos, maguer los aya, non es ende señor, mas siervo, pues que la cobdicia face que non pueda usar de ellos de manera que le esté bien. E á tal como á este llama Avariento, que es gran pecado mortal quanto á Dios, é gran mal estanza al mundo. Ca si todo ome yerra que esto face,*

(x) Infr. Embl. 83.

(y) Suet. in Calig. cap. 42.

(z) Fulgos. lib. 9. cap. 4. fol. 324.

(a) Gunther. in Ligur. lib. 3.

(b) Cassiod. lib. 3. epist. 29.

(c) Crinti. ubi sup. ex Volcario Gallicam in Avid. Carr.

(d) Tull. 2. offic. & in orat. pro Milone. Bobad. in Polit. lib. 2. cap. 12. ex num. 1. Gregor. Lopez post Abb.

& Bald. in lib. 4. tit. 3. part. 2. verb. Cobdiciar, & quod divitiis potius nocent, quàm proximit avari, Mendoza in 1. som. Reg. ex pag. 150.

(e) Patr. de Rep. lib. 4.

(f) Guich. in Hipponem Polit.

(g) Thom. Morus in arm. pag. mihi

(h) Juven. satyr. 6.

(i) L. 4. tit. 3. part. 2.

quanto mas Rei, á quien Dios dará pena porque obró mal, y escasamente de los bienes que él le dió.

17 Unde in Deuteronomio (k) legitur, Regem non debere auri, & argenti immensa pondera habere, & omnibus seculis notati sunt, & vecordes habitii Reges, & Imperatores, qui hoc vitio maximè laborarunt, quorum copiosum Catalogum Camerarius (l), Beyerlinchius (m), & alii (n) fecerunt. Planè Cræssus, Cræssusque, vel eo solo periisse dicuntur, & Persarum Reges Athenæus (o), ex Care Mitylenæo, recenset, & succenset, quòd non nisi inter conclavia multo auro, argento, aliisque pretiosis gemmis onusta dormirent, ut in nostro Caligula vidimus, eaque cervical Regium appellabant.

18 Vespasianus quoque, licèt aliis virtutibus clarus, ob nimiam avaritiæ labem, ut Suetonius (p) narrat, infestus fuit, rapacissimos quippè homines de industria solitus erat ad amplissimas functiones promovere, ut locupletiores, mox condemnaret, ita ut iis vulgò pro spongiis uti diceretur, quos quasi & siccos madefaceret, & humentes exprimeret. Reprehendentique filio Tito, quòd etiam urinæ vectigal commentus esset, pecuniam ex prima pensione admovit ad naves, sciscitans num odore offenderetur? & illo negante, ex lotio illam corrogatam esse dixit.

19 Eadem insatiabilis cupiditas in Nerone, Galba, in Commodò, Caracalla, Didio Juliano, Phoca, Anastasio, & aliis Imperatoribus passim ab Auctoribus recensetur, & de Juliano II. Historia Miscella apud Baronium (q) enarrat, initio Imperii sui bonum fuisse, post ita avarum, pauperum contemptorem, Senatorum, & aliorum spoliatores, ut arcas juberet ferreas fieri, in quibus quæcumque rapiebat auri talenta, congregaret.

20 Sed præ aliis speciali nota dignum videtur Domitiani exemplum, quoniam huic, quod de Caligula commentamur, simile est, hic enim (in hoc ut & in aliis pessimis Imperatoribus) Dionisio Halicarnasense (r) testante, ita vanam voluptatem in divitiis ponebat, ut in aureis suis pro voluptate ambulare solitus esset, & juxta Suetonium (s), nihil pensi haberet, quin omnimodo bona vivorum, & mortuorum usquequaque deprædaretur.

21 Quo in eo magis mirandum fuit, cum secundùm eosdem Auctores, in rebus aliis valde prodigus, ac profusus fuisse legatur. Quamvis non ignorem, hoc esse proprium Principum avarorum, opes cupere, & cumulare, ut easdem in res non necessarias, aut inhonestas profundant. Avaritia enim nemini benefacit, sed cum defraudatione sui, & aliorum, quacumque ratione, seu honesta, seu inhonesta, cupit opes congerere, quas simili modo statim exhauriat, & abliguriat, illud verum reddens, quod de Romanis lachrymatur Ovidius (t):

*Querere ut absint, absumptam requirere certant,
Atque ipsæ vitis sunt alimenta vices.*

22 Et Petronii, qui de eisdem sic habet:

*Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Què mare, què terræ, què sidus currit utrunque,
Nec satiatum erat, gravidis freta pulsa Carinis
Jam peragrabantur. Si quis sinus ablitus ultra
Si qua foret tellus, quæ fulvum mitteret aurum
Hostis erat, fatisque in tristia bella paratis,
Querebantur opes, non vulgò nota placebant
Gaudia, non usu plebejo trita voluptas.
Assyria conchan laudabat miles in unda,
Quæsitus tullere nitor certaverat ostro.
Hinc Numide crustas, illinc nova vellera Seres,
Atque Arabum populus sua despoliaverat arva, &c.*

23 Quod nemo alius magis ostendit, quàm idem hic Caligula, de quo agimus: nam teste (u) Suetonio, vicies septies centena millia H. S. hoc est DC. LXXV. tonas auri, uno anno profudit, quadragenis in pectum sestertiis aleam lusit, id est denis aureorum millibus in singula puncta, non in singulos aleæ casus, ut ex eodem Suetonio Rhodiginus (x) advertit, & lascivia Venereque perditus, numquam nisi in odoribus lavabatur, citreoque ligno naves edificabat, ornatis auro gemmisque earum puppibus, in eis quoque odoratas arbores, atque herbas planta-

bat

(k) Deuteron. cap. 17. 17.

(l) Camerar. 1. tom. cap. 46.

(m) Theat. verb. Avaritia, & verb. Tyranni avaritate.

(n) Aschaff. de erario, pag. 507. & seqq. & 175.

(o) Athenæ. lib. 12. in princip.

(p) Sueton. in Vespas. cap. 16.

(q) Baron. ann. 582. num. 2. pag. mihi 850.

(r) Halicarn. in ejus vita.

(s) Sueton. in Domit. cap. 12.

(t) Ovid. 1. Fast.

(u) Sueton. in Calig. Pontan. de magnific. cap. 3.

(x) Cæl. Rodig. lib. 20. cap. 24. ex Suet.

bat, & viridaria porticibus, atque trinclinis auratis circumsepta construebat, quibus navibus circum campaniæ litora, inter sonos, cantusque, atque scorta navigabat. In conviviis aureo pane, aureisque piscibus, in verorum similitudinem expressis, mensas instruebat. Pulmenta, quibus excitari stomachus solet, detritis, maceratisque margaritis, conficiebat, tamquam alia nulla Romani consumendi Imperii ratio offerretur.

24 Ut & Cleopatram fecisse legimus, cujus prodigalitas tanta fuit, ut unionem (y) bis mille aureis aestimatum, semel poculo injecerit, & uno impete exhausserit. Alioqui adeo avara, ut narrante Josepho (z), ob alieni appetentiam, nihil sibi illicitum putaret, fratremque & sororem ob hanc causam veneno sustulerit, & Marcum Antonium suo amore irretierit, eumque continuo sollicitaverit, ut aliis ablata, ipsi largiretur. Pecuniarum etiam, ubicumque spes affulgeret, neque templum, neque sepulchrum, neque asyllum ullum unquam violare dubitavit, modo ad illam redirent spolio quaesita, vel sacrilegio: miscebatque sacra profanis, fas nefas, ut augetur lucris, vel iniquissimis. Ad summum nihil satis erat mulieri sumptuosæ, & voluptatibus deditæ, cujus cupiditates vix totius orbis opibus possent expleri.

25 Parem in Heliogabalo avaritiam, vel stultitiam Lampridius (a), & Sabellicus (b) memorant, cum nihil non ad cogendas divitias tentaret, eo solo animo, ut ipsas statim profunderet, adeo ut naves illis onustas, sæpè jocans, ob hanc tantum causam in mare demerserit. Testatus, fore, ut si sibi filius nasceretur, tutorem illi daret, qui cogeret eum eadem facere, seque sui heredem esse velle.

26 Sed hæc & similia hominum monstra, ita graviter duplici iniquitate peccantium, non tam ad imitationem, quam ad cautionem bonis Principibus ob oculos ponimus. Quorum præcipua virtus in moderatione, & parsimonia, tam acquirendarum, quam erogandarum pecuniarum consistit, quarum studium, aut tollendum, aut, quoad res feret, minuendum, rectissime monet Sallustius (c), iniquis: *Aliter, neque privatam rem, neque publicam, neque domi, neque militie regi posse.*

27 Unde Veneris Capitale esse, si quis referat de congerendo thesauro Cominæus (d) scriptum reliquit, & Thomas Morus (e) in sua Utopia refert, electum Regem jurare compelli, nunquam se uno tempore supra mille auri pondo in thesauris habiturum, aut argenti, quantum ejus auri pretium æquet. Quod institutum Philippus Camerarius (f) probare videtur, & cum eo locus Deuteronomii supra relatus concordat, ubi Regem non debere habere immensa auri, & argenti pondera aperte deciditur, quod tamen rectè D. Thomas (g) exponit, quando Rex hoc vellet habere ad ostentationem, sive fastum Regalem, secus autem si ad Regni subventionem, cui ex multis causis thesaurus est necessarius, ut ibi ex alio loco Sallustii deducit.

28 Cui doctrinæ Ego (h) quoque, alia adducens, post alios alibi assentior, dummodo ejusmodi thesauri, cum gravi damno & injuriis vassallorum non congregentur, vel ubi congregati fuerint, passim, & sine causa in res voluptuosas, & Regno minus utiles (ut multoties fieri solet) nequam profundantur.

29 Nam licet verè dicere potuerit Cassiodorus (i): *Indigentiam justè à Principibus fugiendam esse, quæ suadet excessus, dum pernicioza res est in Imperante tenuitas; æquè etiam certum est, veras divitias, & thesauros Regum, in subditorum levamine, & hilaritate consistere, ut alio loco (k) dicemus, & verè divitem (ut in hoc diximus) qui ut Bion sapiens consuluit, non patitur se à divitiis possideri, sed ipse earum substantiam possidet.*

30 Non enim illas habere decet, ut iis perpetuò, ut aliter Caligula, incubes, sed ut iis scias pro necessitatibus uti, & D. Cypr. (l) (cum quo me ab hac expediam commentatione) monitum serves, ita eleganter inquentis: *Locupletem te dicis, & divitem, & utendum putas iis, quæ possidere te Deus voluit. Uttere, sed ad res salutare; utere, sed ad bonas artes; utere, sed ad illa, quæ Deus precepit, quæ Dominus ostendit. Divitem te sentiant pauperes, locupletem sentiant indigentes. Patrimonium tuum Deo fœnera, Christum ciba; Ut ad Domini præmia venire contingat, multorum precibus exora. Nam delinquis & hoc ipso in Deum, si ad hoc tibi ab illo divitias datas credis, ut illis non salubriter perfruaris.*

EM-

(y) Plin. lib. 9. cap. 35. ubi de hoc unions.

(z) Joseph. lib. 15. antiq. cap. 4.

(a) Lamprid. in Heliog.

(b) Sabellic. lib. 6. En. 7.

(c) Sallust. in orat. ad C. Ces. derep. ord.

(d) Cominæus lib. 2.

(e) Morus in Utop. lib. 1.

(f) Camerari. 2. tom. subces. cap. 73. ex pag. 288.

(g) D. Tom. lib. 2. de regim. Princip. cap. 7. in fin.

Greg. Lop. in l. 4. tit. 3. part. 2.

(h) Idem D. Thom. & Theolog. in r. 2. q. 105. artic. 1. & 2. D. Antonin. Navar. Bobad. & plures alii apud Me 2. tom. lib. 1. cap. 15. num. 52. Saaved. in Polit. ex pag. 521.

(i) Cassiod. lib. 1. epist. 19.

(k) Infr. Embl. 82.

(l) D. Cyprian. de discip. virg. pag. mihi 229.

IN PRINCIPES, QUI SACRA CONVASANT.



Quando superbi spolio triumphi
Regina redit lata sacrilego
Urraca. Sacro pressa sub onere
Vestibulo ipso mortua cecidit.
Parcant Reges opibus sacris,
Ne succumbat oneri gravior.

COMMENTARIUS.

1 **T**urpis, atque execrabilis Principum Avaritia, quam ita acriter superiori Emblemate profligavimus, turpior haud dubiè, & execrabilior erit, si ob immanem cogendarum opum aviditatem, nec Templis parcant, nec à sacratis eisdem rebus, ac vasis abstineant.

2 In quibus contra ædificandis, dotandis, largiendis, augendis, ac conservandis, Pii omnes & benè morati Reges præcipuum suum studium, & curam collocare deberent. Scientes, vel scire debentes, hoc Deo gratissimum esse, sibi que in lucrum fœnusque cumulatissimum, & Regnorum fulcrum firmissimum cedere, quod in his liberaliter erogaverint, ut pluribus testimoniis & exemplis passim Sancti Patres (a) ostendunt, & Regus ille Psaltes agnovit, qui, ut in libris Regum habetur, nefas existimavit, se in domo cedrina habitare, Arcam autem Dei in Tabernaculis linteis manere (b). Quare & Templum Domino construere decrevit, & cum hoc filius ejus Salomon perfecisset, illud à Domino sanctificatum fuisse, inibi que in sempiternum corde, atque oculis ad futurum, audire meruit, Thronique Regii super Israel in se, ac suis posteris durationem, donec in ejusdem Domini cultu, & cæremoniis pari pietate perseveraret.

Ee 2

Ne-

(a) Bibliot. vet. Pat. lib. 3. pag. 1. D. Thom. de Regim.

Princ. lib. 2. cap. 16. Durand. Bellarm. Germon. Cassan.

& alii, apud Me 2. tom. lib. 2. cap. 23. num. 3. & 4. Bey.

in Theat. lit. R. pag. 50. & seqq. lit. L. vers. Liberali-

tas in templa.

(b) Lib. 3. Reg. cap. 9.

(c) Valerius Maximus lib. 1. tit. 1. de Relig. per-

totum.

3 Neque hoc ipsum, vel ipsos Ethnicos latuit, cum de suis Romanis Valerius Maximus (c) memoret, Imperii sui stabilitatem, ac felicitatem ex eodem fonte fluxisse, & expresius Minutius Felix (d) in suo Octavio, sic inquit: *Sic eorum potestas & auctoritas totum orbis ambitum occupavit: sic Imperium suum ultra Solis vias, & Oceani limites propagavit. Dum exercent in armis virtutem religiosam, dum urbem muniunt sacrorum Religionibus.*

4 Eaque propter Justinianus Imperator, in quadam Novella (e) scriptum reliquit: *Nos omni providentia curam Ecclesiarum gerimus, per quas & Imperium nostrum sustineri, & publicas res per clementiam Dei, ac gratiam, muniri existimamus. Et in alia (f), in rebus sanctissimis Ecclesias donandis optimam mensuram esse inquit: Donatarum rerum immensitatem, nihilque causari Imperatorem debere, ne meliora det, cui dedit Deus plurima habere, & multorum Dominum esse.*

5 Quæ verba nescio an viderit, certè tamen imitatus videtur Rex noster Alfonsus, hujus nominis VII. dum legem quamdam (g) condens, qua Regibus, & omnibus Christianis præcipientem rerum Ecclesiis donatarum conservationem injunxit, hanc hujus moniti, sive præcepti rationem adnectit: *Si nos somos tenudos de dar galardón de los bienes deste mundo, á los que nos sirven: mayormente debemos dar á Nuestro Señor, y Salvador Jesu-Christo de los bienes temporales, por salud de nuestras animas. De quien avemos la vida en este mundo, y todos los otros bienes que en él tenemos; y esperamos aver galardón, y vida perdurable en el otro. Y no solamente lo debemos dar, mas aun guardar lo que es dado. Porende mandamos, que todas cosas que son, ó fueren dadas á las Iglesias por los Reyes, ó por otros Fieles Christianos, de cosas que deben ser dadas derechamente, sean siempre guardadas, é firmadas en poder de la Iglesia.*

6 Et in idem tendit lex alia (h) ejusdem Regis, quæ, quomodo ab Episcopis, aliisque Prælati Ecclesiasticis hæc conservatio fieri debeat præscribens, sic exorditur: *Porque somos tenudos de honrar la Santa Madre Iglesia sobre todas las cosas del mundo, porque en ella avemos grande esperanza, que quanto la guardaremos, i la mantuviéremos en sus franquezas, y libertades, que avremos por ello galardón de Dios nuestro Señor á los cuerpos, y á las animas en vida, y en muerte. Porende queremos mostrar como se guarden en todo tiempo las cosas de las Iglesias, &c.*

7 Neque aliud voluisseque videntur Christianissimi Franciæ Reges, cum inter pia alia ipsorum capitularia (i), hoc, ad rem de qua agimus, valdè conducens, ita conceptum legamus: *Novimus multa Regna, & Reges eorum propterea cecidisse, quia Ecclesias spoliaverunt, abstulerunt, alienarunt, vel diripuerunt, Episcopisque, & Sacerdotibus, atque, quod magis est, Ecclesiis eorum abstulerunt, & pugnantibus dederunt. Quapropter nec fortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt: nec victores existerunt; sed terga, multi vulnerati, & plures interfecti, verterunt. Regnaque & regiones, & quod pejus est, Regna caelestia perdiderunt, atque propriis hereditatibus caruerunt, & hæcenus earent. Quæ omnia vitantes, nec talia facere, nec consentire, nec Insanctibus, aut successoribus nostris exemplum dare volumus, sed quantum valeamus & possumus, adiuncto Leonis Papæ, & omnium Episcoporum, quorum consilio usi hoc egimus, spiritu, nostro spiritui, per Deum, & omnium Sanctorum merita prohibemus, contestamurque, ne talia faciant, vel facere volentibus consentiant; sed Auditores, & Defensores, atque sublimatores Ecclesiarum, & cunctorum servorum Dei, pro viribus existant; ne in foveam, in quam prædicti Reges, & Regna ceciderunt, cadant, aut in profundum, quod absit, inferni demergantur, &c.*

8 Hæcenus dictum Capitulare, cujus auctor Carolus Magnus fuisse perhibetur, qui, quod suis successoribus commendavit, ita opere præstiti, ut plures Ecclesias construxisse, dotasseque legatur, & omnium tuitioni, Fideique Catholicæ, exaltationi, ac propagationi ita incubuisse, ut vel ob hæc potissimum, Magni dum vixit cognomentum, & post obitum, in Sanctorum numerum referri, promeritus fuerit, ut præter alios Justus Lipsius (k), & novissimus noster D. Joan. de Tapia & Robles (l) animadvertunt.

9 Quibus memorandum illud ejusdem Pii Cæsaris Apophtegma addere licet, quod Eguinartus (m), & alii (n) recensent, dum Leonidæ Quæstori momenti, quod nimium in res sacras, & artes liberales expenderet, prudenter respondit: *Si felix diu esse cupis, ne sis in Deum; res divinas, & artes liberales parcas, atque sordidus, quæ profecto si non crescunt, alia omnia decrescunt.*

Hæc-

(d) Minut. Felix. in Octav.

(e) Justin. Novell. 42. de Episcop. & Cleric.

(f) Idem Nov. 7. cap. 2. §. sancimus, & in Auth. de non alienand. reb. Eccles. §. si minus.

(g) L. 1. tit. 5. lib. 1. fori regum, quæ est hodie l. 5. tit. 2. lib. 1. Recop.

(h) L. 2. & 3. d. tit. 5. Fori, quæ est l. 6. d. tit. 1.

(i) Lib. 7. Capitul. Reg. Francor. cap. 104.

(k) Lips. in monit. polit. lib. 1. cap. 2. post. Marin. Sicul. de reb. Hisp. lib. 11.

(l) Robles en el Tratado de los Grandes, Elog. 10. fol. 35. & in notis fol. 86.

(m) Eguic. in vita Caroli Magni.

(n) Paul. Æmil. Joan. Serran. & alii Boccr. de util. Academ. cap. 35.

10 Hæcque eadem Pietas in gloriosis Hispaniæ nostræ Regibus ita fervidè semper exarsit, ut vel exteris Auctoribus (o) testantibus, laudantibus, & mirantibus, nulli ab orbe condito uspiam cognoverint, quò tum in Hispania tum in Indiis, & aliis sui latè patentis Imperii ditionibus, tot Cathedralis, Cænobialesque Ecclesias erexerint, construxerint, & amplissimis redditibus, prætiosisque donariis dotaverint, & locupletaverint. Ita ut Neothericus quidam Scriptor justè scitèque in piam hanc, & liberalem erogationem, illa Claudiani (p) carmina, paucis mutatis, detorqueat:

— Si solveret ignis
Quas dedit immanes sacra in stipendia gazas,
Argenti potuere lacus, & flumina fundi.

11 Solaque extitisse narratur Urraca Regina, quæ ab hac pietate, (licet sub obtentu ingruentium bellorum) desciscens, anno M. C. XXVI. Sancti Isidori in Legionensi urbe ditissimum fanum spoliare decrevit, ceteris contingere sacros thesauros reformidantibus. Quæ tamen multa, quæ propria manu abstulerat, secum portans, dum Templo egreditur, mortua rapti visceribus concidit, & manifesta Numinis lessi vindicta, illico animam exalavit. Quam lamentabilem historiam plenius Joannes Mariana (q), Garibajus (r), Sandovalius (s), Julianus del Castillo (t), Baptistæ Fulgosus (u), Theatrum vitæ humanæ (x), noster Saavedra (y), & alii passim rerum Hispanicarum Scriptores enarrant, licet Hieronymus Zurita (z), miserandam ipsam Reginam, non inibi, sed Saldaniæ, ex partu turpis conceptus, in æternum Hispaniæ dedecus, objisse commemoret.

12 Egoque ex ea hoc, quod vides, Emblema, construxi, parum veritas aliquorum censuram, qui fortè objiciunt, magis decuisse Hispanum Scriptorem, impium hoc factum vel negare, vel silentio contegere, quam aneis laminis, & semper loquentibus typis manifestare. Nam rem adèd notam, à tot retrò Scriptoribus literis traditam, & à Recentioribus repetitam, aliud quaquam verendum fuit hæc nostris Commentariis notiosem fieri posse. Et ut fieret, semper Ego cum Tacito (a), Præcipuum minus annalium reor, ne virtutes, aut vitia silentur, utque prævis dictis factisque ex posteritate, & infamia metus sit. Et cum Julio Capitolino (b), ea in historia poni debere, quæ, aut fugienda sint, aut sequenda. Et qui Regibus nostris in hoc Pietatis studium spontè currentibus, frigidam, ut est in proverbio (c), suffundere paro, nullum potentius exemplum, quam domesticum proponere potui, ut sciant:

Premia quanta bonos maneant, quàm fulmine justo,
Et Capito, & Turor ruerint, damnante Senatu,
Pyrate Cilicum.

Ut in simili Juvenalis (d) scripsit. Et Ælianus dum docuit, nonnullam memoriæ prodenda, non ut ad imitationem eorum inducamur, sed ut fugere, & declinare possimus.

13 Possemque huic divinæ punitionis exemplo, plurima alia similia variis seculis vissa, subnectere, nisi jam hoc alii (e) lato calamo præstitissent, & pro multis sufficere possent, quæ in sacra Pagina de Manasse, Amone, Nabuchodonosoro, Seleuco, Heliodoro, Antiocho Epiphaniis, & aliis, ob Templi Hierosolymitani tentatam expilationem, commemorantur. Cui etiam sunt, qui (f) acceptas ingentes à Marco Crasso in se, & in filiis apud Parthos clades, referendas existimant, quoniam prius, cum Syriam esset ingressus, Jerosolimam florentem opibus venit, ubi ea quæ Orientis Reges à multis seculis in Templo Domini consecraverant, quibusque Pompejus Magnus, tantarum nationum victor, pepercerat, diripuit.

14 Sed quid mirum, si Deus pro sacro sibi Templo, expilatisque ejus thesauris, has vindictas exercuerit, cum etiam pro vindicandis Gentilium fanis, similes ultiones exercuisse legamus, quoniam etsi à Dei veri cultu aberrabant, tamen quia divinam venerationem sapiebant, Deus verus hæc miracula operabatur; ut in Auro illo contigit, quod Tolosanum dictum fuit, & apud omnes possessores infaustum, quia à Tectosaginis ex Delphico Templo ablatum, & in Tolosam translatum; unde & Adagio originem fecit, quo Tolosarum aurum sumere consuevimus,

(o) Joan. Boter. Thom. Bozz. Borell. Miræus, & alii apud Me d. 2. tom. lib. 3. cap. 4. ex num. 6. vide Saaved.

(p) Claud. lib. 3. de laud. Stilic. Gervat. in lib. de introit. Infat. Card. pag. 112.

(q) Marian. lib. 10. cap. 8. in fin.

(r) Garibai lib. 12. cap. 2.

(s) Sand. in vit. Alf. VII. cap. 15.

(t) Castillo lib. 4. disc. 5. pag. 230.

(u) Fulgos. lib. 1. cap. 8. de aperta Relig. fol. 14.

(x) Theat. lit. I. pag. 92. & 110.

(y) Saaved. ubi prox. pag. 171.

(z) Zurita lib. 1. Annal.

(a) Tacit. 3. Annal.

(b) Capitol. in Gord.

(c) Erasim. in Adag. pag. 341. Alciat. 6. parerg. cap.

3. Rhodig. lib. 14. cap. 2. l. 4. D. de iis qui not. inf.

Alex. 3. Gen. cap. 9. Corasc. 4. Misc. cap. 24. Roa lib.

6. cap. 9.

(d) Juven. satyr. 6.

(e) Fulgos. & Theatr. ubi sup. idem Theatr. lit. A. pag.

301. Aimoinus de gestis Franc. lib. 3. cap. 70. pag. 131.

Saaved. ubi sup. pag. 171.

(f) Petr. Costal. in Pegm. pag. 39. post Joseph. lib.

7. eneid.

mus, pro re qualibet possidentibus infelici, ut latius ex Agellio (g), Strabone (h), & aliis (i) Erasmus (k) enarrat.

15 Quibus addo, non solum Diis sacratas in Templis divitias, verum & publicas, aut privatas, in eisdem prasidii, vel majoris tuitionis causa depositas, attrahere, grave piaculum olim reputari solere. Unde audax, & temerarium factum Juli Caesaris, qui primus illas suis militibus rapere concessit, ab Appiano (l) notatur, & luculentius à Luciano (m), sic, non tam canente, quam deplorante:

Tunc conditus imò

Eruntur Templo, multis intactus ab amīs
Romani census Populi, quem Punica bella,
Quem dedere Perses, quem victi præda Philippi.
Quicquid parcorum mores servastis acorum, &c.
Egeritur, tristi spoliantur templa rapina:
Pauperiorque fuit, tunc primum Cesare Roma.

16 Sed ut ad propria, & proximiora Christianorum exempla deveniam, habe precor, & cave illud Leonis IV. Imperatoris Constantinopolitani, qui Sigiberto, & aliis (n) testantibus quum summo flagraret gemmarum amore, nec ex profano acquisitis expleri posset, ex Sophia Sacratio abstulit coronam gemmis onustam, à Mauricio, sive Heraclio olim Deo Opt. Max. dedicatam: cavillo usus, Christum, cujus templum illud esset, pauperiem non gemmas probasse. Cumque illam sacrilego, & nefario capiti imposuisset, sic se angustior fieri ratus, poena brevi sequuta fuit; caput quippe sacrilegio pollutum, carbunculo intumuit, quo nomine erat & gemma, quæ in Corona pretiosior aestimabatur, paucisque diebus, ardentissima febre subsecuta, vi morvi consumptus, justas sui sceleris poenas luit, & nefarius impium spiritum exhalavit.

17 Similis audacia Isaacii Angeli Græcorum etiam Imperatoris, in profanandis sacris vasis, & è Templo avulsis, mensis suis adhibendis, non dissimiles poenas tulit, ut alios Nicetas (o) enarrat.

18 Et de Frederico II. Fermanorum Imperatore plurimi (p) referunt Petrum de Vineis, Secretarium suum, levissima de causa oculis privari jussisse, cumque postea Pontificem Paulum III. bello lacerare in animum induxisset, poenitentia motum, Petrique prudentia egentem, illum in secretiore Consiliarium sibi adscivisse. Ille ultionem sceleris in se admissi meditatus, cum de mediis ad bellum istud sustinendum rogaretur: Mihi, inquit, consultissimum videtur, Ecclesiam proprio ære expugnare. Placuit Imperatori sententia, & spoliatis suis vasis, & proventibus Ecclesias, exercitum comparavit. Quo facto, adit Imperatorem nefarius Consiliarius: Et nunc (inquit) injuriam, abs te mihi injustè illatam, ultus sum. Tu tibi hominum, odia comparasti: Ego te coram Deo reum feci meo consilio, cujus templa tam impiè es deprædatus, omnia tibi deinceps indeterius cadent; quod & ipse eventus comprobavit.

19 De Carolo quoque Brabantia Duce, Barlandus (q) scribit, felicissimis auspiciis pluribus in bellis victorem fuisse, interim dum ab Ecclesia rebus manus abstinuit, postea tamen, omni favore Numinis destitutum, numquam feliciter cum hoste pugnavit, quod eodem tempore Clerum gravissimis exactionibus oneraverit.

20 Et in historia Regis D. Pet. Catselle, à Petro Lupecio de Ayala (r) literis tradita, refertur, quod cum infelix hic Rex, Maurum sibi amicum, & in Astrologia valdè peritum, de infausta & violentia morte, quam jam alii eidem præsignerant, forè consulere, ille absque ullo dubio futuram fore respondit, ea ratione reddita: Porque tomas los algos de las Iglesias, y casas de oracion, y que te non vence conciencia.

21 Quod etiam, non minus severa, licet, aliquantulum sera, divini Numinis vindicta, in se expertus fuit Alfonsus VII. Aragonum Rex, nostræ Urracæ, de qua loquimur, æquè infelix maritus. Nam ut Rodericus (s) Archiepiscopus Toletanus, & alii recensent, cum Castellæ Regnum, ut dotale Reginae à se repudiata, retinere vellet, civili bello occasionem dedit. Inopique stipendiorum, ad Sanctuaria manum immissit, & thesauros auri & argenti, pretiosiorumque lapidum, quos Regum, & Reginarum devotio dedicaverat, manu sacrilega usurpavit, & etiam possessiones, oblatas à Regibus, confiscavit. Et in præsens quidem victor evasit, sed postea à Sarracenis victus, disparuit, & aliis casum, & plebejo more tumulatum, aliis, præ ignominia dolore, in cænobio inclusum, asserentibus.

Ex

(g) Agell. lib. 3. cap. 9. (h) Strab. lib. 4. (i) Sabel. lib. 8. en 5. Bofin. lib. 4. dec. 1. (k) Eras. in Adag. pag. (l) Appian. lib. 2. bell. civil. (m) Lucan. lib. 3. Pharsal. (n) Sigibert. Cedr. & alii apud Curpin. in hujus Leonis vita, Paul. Diac. lib. 23. Blondus Decad. 2. lib. 1. (o) Nicet. lib. 3. (p) Poggius en factis. Beyerl. in Apop. Christ. pag. 571. in Theat. lit. I. pag. 109. & lit. V. pag. 145. (q) Barland. in hist. Comit. Fland. pag. (r) Petr. Lop. de Ayala in hist. Pet. ann. 19. fol. 112. (s) Roder. lib. 7. cap. 3. Fortalitium Fidei, fol. 325.

22 Ex quo satis cognoscere possumus, ex Sacrorum Templorum expilatione, Regnorum casus, Populorumque ruinas contingere. E contrario autem, ubi à militibus secura est sacra suscepellex, omnia prosperè evenire, annumque, cælo propitio, fertiliorem existere, ut benè, post alios, Chilensis Episcopus D. Fr. Gaspar à Villaroel (t) scriptum reliquit, Alarici Gothorum Regis ex Paulo Orosio (u) exemplum subticens, qui, barbarus licet & effertus, in Romæ devastatione, à D. Petri Apostoli Sacra riis diripiendis abstinuit, & ob hoc summam sibi laudem paravit, hymnisque Deo Romanis ac barbaris concinentibus, quod irruptio civitatis erat, festum civitatis fuit, recedenteque exercitu locuplete, Romani inopes non manserunt.

23 De Ferdinando etiam Rege inter nostros hujus nominis Tertio, qui Sancti nomen promeruit, Mariana (x) recenset, quod cum ad continuandam Hispalensis urbis obsidionem pecunia deficeret, multique ei, ut in Templorum gazas manum injiceret, suaderent, piè, & cordatè respondit: Mas me prometo yo de las oraciones, y sacrificios de los Sacerdotes, que de sus riquezas. Quam pietatem, & in Deo fiduciam, statim cœlitus remuneratam vidit, sequenti die eadem urbe potius, & gloriosum triumphum, devictis hostibus, consequutus.

24 Et de Sanctio Aragonum Rege pluribus enarrat Zurita (y), omninò legendus, qualiter ob usurpandos Ecclesiæ redditus, poenitentiam publicam egerit, satisfactione præmissa, licet ad illos usurpandos, urgentibus justorum bellorum necessitatibus coactus fuerit.

25 Ceterum manum de tabula levare jam expedit, nam hic commentarius nullum unquam narrationum finem inveniet, si omnia in eum, quæ hac in parte pro Piis, & contra impios dicenda se offerunt, congerere vellem, & dicta satis superque sufficere possunt, ut nostri (heu) temporis calamitosum pericolosumque statum dolere pariter, ac vereri possimus, in quo furentibus, etiam inter Christianos, bellis, hæretici, qui eisdem mixti commilitant, nihil non impium, & execrabile in Ecclesiis, & sacratas Deo vestes, vasa, & gazasque committunt, ne ipsis quidem Pyxidibus, quibus magnum & venerandum Sacrosanctæ Eucharistiæ Pignus reconditur, temperantes, ita ut meritò in eos Heroicus quidam (z) Poëta dicere potuerit:

Regius excersas Vates à gentibus Aras
Flevit Judumæas: sed quis penetratlia Dirum.
Sacrilega vastata manu, Templique ruinas
Congeriemque sacram; nostri non defleat ævi?
Quis Sanctos adytis ipsos efferre nepotes
Christianum, Christi non indignetur honores.

26 Sed hæc quidem impietas, licet aliquando impunita remanere videatur, postmodum sæva, nec valdè sera divini Numinis vindicta reppenditur, & de ea dicere possumus, quod Elianus (a) Delphicum Oraculum contra Sybaritas, ob aliam similem prædixisse, his verbis enarrat:

Non immortales hoc Di patientur inultum:
Si quis enim prudens scelerata mente profectum
Duceret: ipse suo collo, collisque nepotum
Committat facinus, græcis hunc propè poena sequetur,
Hoc luet, & generi cumulatum damna ferentur.

27 Quæ tamen omnia de iis Principibus intelligi volumus, qui per avaritiam, & nulla, aut non satis gravi necessitate premente, propria manu & auctoritate, hos Ecclesiæ Thesauros convasant, & in profanos usus sacrilega præsumptione convertunt. Etenim si ita urgens casus emergat, ut non aliter, quam hoc rerum Ecclesiasticarum subsidio, Reges & sibi, & suis Regnis, ac vasallis succurre possint, utique hoc eis ab Ecclesiasticis denegandum non est, ut exemplo Asæ, Joas, & Ezechia Sacra Pagina admonet, ubi Lyranus, & Abulensis, aliisque Expositores (b), quatuor ad hoc conditiones exposcunt. Prima ut prius Rex sui æarii, atque etiam patrimonii vires excutiat. Secunda, ut non absque Prælatorum Ecclesiasticorum adsensu in Sacra manum injiciat. Tertia, ut vasa aurea, vel argentea, quæ sacro Altaris Mysterio, aut etiam ministerio, proximè deservierunt, prius conflentur, quam Regiis Quæstoribus attrahantur. Quarta, ut Rex, qui se ejusmodi bonis juvare præterdit, tantumdem in genere suo, se, quod citius potuerit, redditurum, sub idonea cautione, seu fidejussione promittat. Ad quas quidem conditiones respexisse videntur docti suæ ætatis Theologi, & Juris-Prudentes, qui in Curia Regiis Metimnæ Campensi congregatis anno 1475. ut Joan. Mariana (c), & alii (d) commemorant Catholicis Regibus Ferdinando, & Elisabetha contra Alfonsum Portugaliæ Regem, bellum parantibus, sub eisdem dictam subventionem licitam esse decreverunt.

28 Quod & antea tempore, Domini Regis Joannis II. in Curia Burgensibus anno 1429. & iterum in Zamorensibus anno 1432. tractatum etiam, & resolutum fuisse, satis indicat lex (e) Novæ Collectionis, quæ ex eis, ut apparet desumpta, sic habet: La plata, y bienes de las Iglesias, el Rei no lo puede, ni debe tomar; pero si acaciere tiempo de guerra, ó de gran menester, que el Rei pueda tomar la tal plata, con tanto, que despues la restituya enteramente, sin alguna diminucion à las Iglesias.

29 Certum quippe est, necessitatem licitum facere, quod in lege aliàs illicitum esset, ut ex

(t) Villaroel in lib. Jud. pag. 241. num. 11. (u) Oros. lib. 7. cap. 39. (x) Mariana de rebus Hisp. lib. 13. cap. 7. Saaved. ubi sup. pag. 171. (y) Zurit. lib. 1. anal. Arag. cap. 25. fol. mibi 27. (z) Joann. Bochius in Theat. Crud. hæret. nostri temp. vide Greg. Lop. in 1. 14. tit. 22. part. 1. Bobad. in Polit. lib. 2. cap. 18. num. 319. (b) Lib. 3. Reg. cap. 15. lib. 5. cap. 12. lib. 4. cap. 18. ubi Lyrap. & Abulens. Monzon in Spec. Princ. (c) Mariana in Hist. Hisp. lib. 24. cap. 8. (d) Saav. qui alia exemp. adducit dict. pag. 171. & seqq. (e) L. 9. tit. 2. lib. 1. Recop. circa quam ultra Azev. ibid.

Beda (f) in quadam Decretali docemur, bonaque omnia (ut vel in proverbium abiit) ea premente, communia reddi; neque tunc esse, cur Ecclesiae, vel Ecclesiastici de ejusmodi subventionibus queri possint, cum aequè in ipsorum, ac laicorum tuitionem proficiant, ex quibus simul Regni, vel Reipublicae corpus conflatur. Et non minus vulgare, quam verum sit illud D. Ambrosii (g) documentum: *Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut erogat, & subveniat in necessitatibus. Quid opus est custodire, quod nihil adjuvat? An ignoramus quantum auri, atque argenti de Templo Domini Assirii sustulerunt? Nonne melius constat Sacerdos, propter alimoniam pauperum, si alias subsidia desint, quam sacrilegus contaminata asportet hostis? melius fuerat, ut vasa viventium servares, quam metallorum, &c.*

30 Similis est in eadem sententia Divus Hieronymus (h), inquam, gloriam Episcoporum esse, inopiae pauperum providere, & ignominiam Sacerdotis propriis studere divitiis, satiusque esse privatis, & publicis necessitatibus subvenire, quam Templorum parietes marmore nitere, auro splendere laquearia, & gemmis Altare distingui.

31 Qui sanè locus Nos ad illam quæstionem vocabat, an expediens sit, vel fuerit, Ecclesias, & Ecclesiasticos pluribus divitiis, & redditibus abundare? In quam negantem sententiam Bodinus, Cunerus, & alii passim ex sectariis defendunt, illud Persii (i) inter alia commemorantes.

Discite Pontifices in sacro quid facit aurum?

Et Annæus Robertus (k) plura in id ipsum loca sanctorum Patrum diligenter expendit. Ajentem verò Patricius (l), Rangolius (m), Marquez (n), Vazquez (o), Contzen (p), Suarez (q), & Catholici omnes (r) nervosè propugnant, & ipse idem Annæus Robertus non minus strenuè in ejus defensione, in emergenti quadam Carthusianorum causa, se habet.

32 Omnes tamen sub ea cantione, ne ejusmodi divitiarum, & Reipublicae, & ipsis Ecclesiasticis, præsertim Monachis, damnosae potius, quam utiles sint, seque earum, non tam Dominos, quam Oeconomos, & Fideles dispensatores esse sciunt. Adeoque id omne quod decenti Templorum cultui, & ipsorum sustentationi supererit, in alimoniam pauperum erogent, & aliis urgentibus Reipublicae utilitatibus hilariter offerant.

33 Alioqui malè poterunt, divitiis suffarcinati, Christum pauperem sequi, & Divi Prosperii (s) consilium spernere videbuntur, qui eos qui Deo militant ex toto corde, divitias fugere debere commonuit: *Quas qui habere volunt, sine labore non quaerunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine anxia delectatione non possident.*

34 Sæpèque illud esse verissimum experiemur, quod jam suo tempore prævidit Divus Hieronymus (t), & nostro longè magis aptatur: *Sunt ditiores Monachi, quam fuerant seculares. possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non habuerant, & sustinet eos Ecclesia divites, quos tenuit mundus antea mendicos. Tratus in paupere domo, & in tugurio rusticano, qui vix millio, & cibario pane rugientem saturare vatreæ poteram, nunc similiam, & mella fastidio.*

35 Ac planè, quamvis negari quoque non possit Templorum nobiles fabricas, pretiosioresque ornatus commendari debere, quia ut Divus Bernardus (u) inquit, & Tridentinum (x) diffinit, carnalis populi devotio, quia spiritualibus non potest, non corporalibus solet ornamentis excitari, adhuc tamen memoria dignum semper existimavi illud Bonifacii Episcopi, & Martyris Apophthegma, qui dicere solebat (y): *Olim Sacerdotes aurei, utebantur calicibus ligneis: nunc lignei Sacerdotes, utuntur calicibus aureis.* Quod referens quidam nostri temporis satis pius & doctus Scriptor (z), aliud simile se audisse inquit de Templis recentibus, & antiquis prædicari: *Quondam erant Christianorum Tempia obscura, & corda lucida: nunc Tempia sunt lucida, corda vero obscura.*


36 Ac certè secundum Eruditissimi & Eminentissimi Cardinalis Bellarmini (a) censuram, tametsi hæc Templorum, & ornamentorum Magnificentia, instructis, & dotatis à Principibus notari non possit; in Monachis tamen jam dudum à Divo Bernardo (b) notata comperitur; & in S. Brigittæ Revelationibus (c) legimus, Magis placere Deo cor humile in humili Ecclesia, quam alti muri, in quibus corpora sunt intra, & corda ab extra. Atque ideò non debere arcas auro, atque argento implere propter ædificia, quia non profuit Salomoni ædificasse tam sumptuosa ædificia, ex quo neglexit eum diligere propter quem ædificabantur. Idemque ipsum super Templorum, & ædificiorum splendore, & ornatu, quem Regulares plerique affectant, & sollicitè conquirunt, censuerunt Patres Concilii Viennensis, cujus Canon, de hoc agens in Clementina quadam (d) refertur, ad quam, quia omnibus obvia est, Lectorem remitto.

EM

(f) Beda in Marc. cap. non est licitum, de reg. jur. Val. Max. lib. 7. tit. de necessit.
 (g) D. Amb. lib. 2. de offic. e. 28. relatus in aur. 12. q. 2.
 (h) Div. Hier. in epist. ad Nepot. de vit. Cler. relatus in sup. gloria Episcopi, dist. caus. 12. quæst. 2.
 (i) Pers. Satyr. 2.
 (k) Ann. Rob. lib. 2. rer. jud. cap. 2. in 1. part.
 (l) Patric. de Regn. lib. 9. cap. 18.
 (m) Ragot. in 1. Reg. cap. 10.
 (n) Marq. in Gab. Christ. lib. 2. cap. 16. fol. 123.
 (o) Vaza. de reddit. Eccles. cap. 1. §. 3. dub. 3.
 (p) Contz. lib. 6. Pol. cap. 26.

(q) Suar. in defens. Fidei, lib. 4. cap. 17. & seq.
 (r) Reinos. in defens. Pat. Eccles. §. 4.
 (s) D. Prosp. de vir. contemp. lib. 2. cap. 12.
 (t) Div. Hier. in epist. ad Heliod.
 (u) Div. Bern. in Apol. ad Guillem. in fine.
 (x) Trident. sess. 22. cap. 5.
 (y) Fr. Mart. de Vera lib. de inst. Eccles. cap. 24. §. 15.
 (z) Pat. Jacob Pont. in bellar. Attic. 2. part. pag. 389.
 (a) Bellarm. 2. tom. controver. lib. 3. cap. 6.
 (b) Div. Bernard. in Apol. ad Men. Cluniac.
 (c) Sancti. Brigitt. lib. 3. cap. 18. circa finem.
 (d) Clem. coivi de Paradiso, de verb. sign. §. volumus.

EMBLEMA XLI.
 LARGUS IN PAUPERES.



*Pauperibus largus Princeps, quem vellicat uxor,
 Fortè Crucem lapidi vidit inesse domi:
 Syderibus dignum lapidem tellure revelli
 Fussit, ubi argenti Copia subter erat.
 Quod miseris donat dives, Deus ipse rependit,
 Colligit ac veluti semina jacta solo.*

COMMENTARIUS.

Non solum in Tempa Templorumque Ministros, Regalis Munificentia debet sua fræna laxare, sed in Pauperes etiam, qui Ecclesiae columnæ à Divo Hieronymo (a) vocitantur. Ut enim Imperialis fortuna, Justiniano (b) monente, ceteras supereminet aliàs; ita oportet Principales in hac erogatione liberalitates culmen habere præcipuum. Quæ Græco nomine *Eleemosyna*, quasi *Misericordia* dicitur; & secundum Theologis (c) diffiniri solet: *Opus in quo datur aliquid indigentibus, propter Deum.* Qui ipse verus Regum omnium Doctor, & Doctor, Fons est & Auctor omnium bonorum, omnibus benè faciens, & de quo Regius Vates (d) scripsit: *Oculi omnium in te sperant Domine, & Tu das illis escam in tempore opportuno. Aperis Tu manum tuam, & impleas omne animal benedictione.*

2 Unde in sacra Pagina, Sancti illi Reges, ac Principes Dei Ecclesiae Nutritii, Joseph, David, Josaphat, & Josias, qui in hac virtute excelluerunt, plurimum commendantur & Abdias, qui centum Prophetas pascebat, ut in libro Regum (e) habetur. Meritòque Div. Augustinus

(a) Div. Hier. epist. 2. ad Nepotian. relatus in cap. gloria 12. quæst. 2.
 (b) Justin. in leg. cum multa, C. de bon. que li. her.
 (c) Theolog. in 4. sent. dist. 15. Div. Thom. & reliqui 2. 2. quæst. 21. art. 13.
 (d) David Psalm. 114.
 (e) 1. Regum 18.